

*tertio indictione I, Joceranno Lugdunensis Ecclesiæ episcopatum regente, tum anno MCXV quo Trenorchiano concilio interfuit.*

Si ergo anno MCXI, id est medio illo tempore quod inter annum MCVII quo scripta videtur Anselmi ad Jocerannum epistola et annos MCXIII et MCXV effluxit, Johannes Lugdunensem episcopatum tenuit, ut ex duabus illis Yvonis epistolis collegit Sirmundus, consequens est duos eodem tempore ejusdem sedis fuisse archiepiscopos et quidem publicis testimoniis agnitos; quod cum nullo veterum testimonio stabiliri possit, dispiciendum est an non mendosæ sint inscriptiones duarum Yvonis epistolarum et num potius Joceranno quam Johanni directæ sint.

Illud maxime pro hac sententia facit quod ad oram posterioris Yvonianæ epistolæ, scilicet, CCXXXVII quam Johannes scripsisse dicitur, Souchetus notavit alias legi in quibusdam codicibus Joscennes non Johannes ubi nemo non videt mendose hic scriptum Joscennes pro Jocerannus, cui in nonnullis codicibus hæc epistola adscripta erat.

At quo pacto, inquis, Johannes pro Joceranno seu Joceranno intrudi potuit. Nimirum in antiquis illis non modo transumptis sed etiam autographis non raro nomina propria prima duntaxat littera designari solebant, ut sexcentis exemplis demonstrari posset, si id viris rei antiquariæ peritis exploratum non esset. Cum itaque Joceranni nomen prima tantum littera J. duabus illis Yvonianis litteris designatum esset, factum est, ut amanuenses proprium illud nomen integrum describere tenere volentes Johannis nomen loco Joceranni scripserint.

Quod ne gratis dixisse videar, præsto adest Souchet notatio ad epistolam CCXXXVII ubi observat varie legi ejus inscriptionem in mss codicibus: sed et in alio, inquit, *prisco libro prima nominis littera tantum designata habetur I primæ Lugdunensis, etc.*, quod nihil ad propositum opportunius afferi potest.

Hinc itaque contigisse non dubito, ut Johannes in duabus illis epistolis a temerariis notariis intrusus sit pro Joceranno; adeoque corrui fundamentum quo Johanni archiepiscopatus Lugdunensis assertus credebatur. Expungendus proin de videtur Johannes iste intrusus e catalogo Lugdunensium archiepiscoporum nisi alia proferantur argumenta quæ, contrarium persuaderant.

Hæc sunt, illustrissime Archi-præsul, quæ ad illustrandum Joceranni pontificatum et ad expungendum e catalogo Lugdunensium archiepis-